DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

Ventriculi Inflammatione:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. JOANNIS GOWDIE,

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *consensu,*

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE *decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS BUCKHAM, SCOTO-BRITANNUS.

Ad diem 16 Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud HAMILTON, BALFOUR, & NEILL,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.
M,DCC,LVIII.

70-7555

10-1555

VIRO INTEGERRIMO,

MEDICOQUE PERITISSIMO,

JOANNI RUTHERFOORD,

MEDICINÆ THEORET. ET PRACT.

IN ALMA ACADEMIA EDINENSI

PROFESSORI CELEBERRIMO,

PATRONO SUO PLURIMUM COLENDO,

OB INSIGNEM, QUA EUM SEMPER ACCEPIT,

BENEVOLENTIAM,

HANC DISSERTATIONEM,

PRIMOS SUOS IN ARTE MEDICA CONATUS,

GRATO ANIMO OFFERT:

NEC NON

GULIELMO OLIVER

DE DINLABYRE,

ARMIGERO,

COGNATO SUO SOCIOQUE CONJUNCTISSIMO,

MORUM PROBITATE,

MENTISQUE INDOLE INGENUA ET AMICA,

PERQUAM EXIMIO,

D. D. C. Q.

JACOBUS BUCKHAM.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

Ventriculi Inflammatione.

QUICUNQUE concinnam et admirabilem corporis humani ſtructuram attento contempletur animo, quin arte Divina fabrifactum ſit, dubitare nequit. Inter alia, ad hanc rem probandam, argumenta, ex ipſius natura corporis petita, vix fortius adduci poteſt, quàm exquiſita illa ſympathia, concordia, et in eundem finem conſpiratio partium, quae in univerſa corporis compage clarè undequaque conſpicitur.

Nulla verò in toto corpore pars eſt, quae tam conſpicuam ac intimam, cum omnibus et ſingulis nervoſis ejus organis et locis, harmoniam ac ſympathiam alat, quàm ipſe Ventriculus: adeo ut ſi ulla pars, quae ſenſu acuto gaudet, etiam longius diſſita, praeter naturam afficiatur aut laedatur, ſta-

tim

tim etiam ventriculus inde luat et compatiatur. Et attenta obſervatione conſtat ventriculo aegrotante, vel quacunque de cauſa malè ſe habente, protinus inde univerſum ſyſtema nervoſum ut plurimum offendi.

Quo, procul dubio, inductus fuit HELMONTIUS, ut ARCHÆUM animatum in ventriculo habitare putaverit.

Quàm fragilem et caducam, quàmque multis et diverſis malis obnoxiam eſſe totam hanc machinam exquiſitam, quotidiana experientia ſatis ſuperque demonſtrat.

Prae omnibus autem aliis corporis partibus, ventriculus ipſe, princeps illa reliquarum partium et viſcerum officina, plurimis et ſaeviſſimis vexatur morbis.

Inter omnia vero mala, quae hoc nobile viſcus infeſtant, vix accidit ullum, magis metuendum, aegro difficiliùs tolerandum, vel fortè majori cum cura medico tractandum, quam ejus inflammatio: de qua hîc verba facturus ſum. Prius autem quàm morbum aggredior, haud abs re erit, de hujus viſceris ſitu atque ſtructura, quaedam breviter proferre.

Ventriculus

Ventriculus eſt viſcus illud capax membranoſum, partim in hypochondrio ſiniſtro, partim in epigaſtrio, ſub diaphragmate ſuſpenſum, ingeſtis ex oeſophago recipiendis dicatum. Situs ejus ſemper tranſverſus eſt, et appendix enſiformis ſedi ferè mediae ventriculi reſpondet *.

Maxima ejus capacitas eſt in latere ſiniſtro; procedendo autem versùs dextrum, ſenſim anguſtior evadit; ac quoad totius figuram, haud malè ab anatomicis utriculae luſoriae comparatur, praeſertim ſi cum oeſophago et duodeno annexis conſideretur.

Orificia duo habet ventriculus, ſuperius ſive ſiniſtrum, et inferius ſive dextrum. Utrumque fibris circularibus, ſphincteris inſtar, quarum ope claudatur, munitur. Horum ſiniſtrum conſtanter ad punctum ſe contrahit, ne cibus vel potus in ventriculum ſemel receptus, in os iterum regurgitet; tempore tantum deglutiendi, vomendi et eructandi, aperitur.

Fibrae annulares dextri orificii, quod etiam *pylori* nomine gaudet, non ita conſtanter contrahuntur, neque ſe ad punctum conſtringunt; tantum, durante digeſtione, eo uſque abbreviantur, ut nihil ſolidum deſcendere, at liquida ſolummodo,

* Vid. Haller. Prim. Lin. Phyſ. cap. xxiii.

do, permittant *. Aperitur autem per ventriculi contractionem, et chymi advenientis appulsum.

Substantia ventriculi ex quatuor tunicis et tribus telis cellulosis intertextis conflari videtur.

Tunica prima et extima est illa laevis membrana, a peritonaeo, ubi ventriculus diaphragmati adnectitur, mutuata, per totum ejus ambitum continuata; ad robur itaque et firmitatem subjectarum tunicarum, haud parum conducit.

Sequitur tunica secunda, *musculosa* vel *carnosa* dicta, quae caeteris multò crassior et fortior est; ad motum itaque peristalticum ventriculi perficiendum, praecipuè constructa videtur. Haec tunica, mediante tela cellulosa, extimae adnectitur.

Tunicae huic musculosae subjacet *nervosa* vel *vasculosa* dicta, quae texturâ intricatissimâ reticulari arteriarum, venarum nervorumque, constat; tunicae musculosae cohaeret, interposita altera tela cellulosa; glandulis et ductibus excretoriis ferè innumeris scatet, qui quartam vel intimam tunicam perforant, et patulis osculis in ventriculi cavitatem lympham et mucum exhalant.

Sequitur, denique, quarta et intima, *villosa* dicta, quae ope telae cellulosae, tunicae vasculosae adhaeret. Haec innumeris foraminulis, ductuum excretorio-

rum

* Vid. Glissbn. de Ventric. &c. cap. 2.

rum emiſſariolis reſpondentibus, perforatur. Celeberrimus MONRO exiſtimat, hanc tunicam villoſam eſſe epidermidis continuationem, quae non ſolum per fauces, oeſophagum, ventriculum, totumque tubum inteſtinalem exporrigitur; ſed etiam per omnia corporis vaſa continuari videtur *. Eſt reliquis membranis ventriculi amplior, mollis atque elatere deſtituta; vacuo ergo ventriculo, in multas rugas ſive plicas agitur. Inſerviunt hae plicae contenta ventriculi remorare, ne ante debitam digeſtionem ad exitum feſtinarent.

Ventriculus multas habet arterias, ex diverſis truncis derivatas: harum autem omnium communis mater caeliaca eſt †. Hae omnes per ventriculi ſubſtantiam diſtribuuntur, et infinitis anaſtomoſibus ſibi invicem conjunguntur.

Sanguis ex arteriis receptus, per venas ubique ferè arteriis reſpondentes revehitur, atque in truncum venae portarum, vel in aliquos ejus ramos, effunditur: Quaedam ejus venarum cum venae ſine pari ramis inoſculantur ‡.

Ventriculus plurimis ornatur nervis, qui a pari vago proveniunt, circa orificium ſuperius inſignem

* Med. Eſſays, vol. 4. art. xi.
† Haller. Prim. Lin. Phyſ. p. 403.
‡ Haller. Prim. Lin. Phyſ. p. 405.

insignem formant plexum, et exinde per totum viscus locupletissimè distribuuntur; huic etiam nervos impertit intercostalis; qui a plexu hepatico proveniunt, partibus ventriculi inferioribus impenduntur *.

Variis viciniis in sua sede stabilitur ventriculus; superiori enim orificio continuatur gulae, eaque mediante, firmiter diaphragmati adnascitur, inferiori unitur duodeno; hepar a dextris ei magna ex parte incumbit; a sinistris lien attingit; secundùm totam longitudinem adhaeret omentum; posteriori parte subjacet pancreas; colon intestinum ejus fundum tangit.

Si igitur de hujus visceris situ, structura vasculosa, et sensilitate qua gaudet acutissima, de injuriis etiam ei ab ingestis quotidie illatis, nobiscum reputemus, mirum equidem apparebit, id non saepius inflammari; et procul dubio longè frequentius, praesertim apud vulgus et rusticos incautos, occurrit, quam quidem creditur; licet praesens saepe ignoretur, vel alterius morbi titulo tractetur, funestissimo certè cum eventu.

Celeberrimus HOFFMANNUS, de hoc morbo agens, dicit, " Inflammatio ventriculi, ut affectus " est periculosissimus, ita et communissimus, qui " plurimos

* Winslow, vol. 2. sect. 78.

" plurimos opprimit atque praecipitat; ergo mi-
" randum eſt, quod a practicis parum omnino ob-
" ſervetur; et quod magis mirum videtur, illorum
" libri vel planè de hoc ſilent, vel negligentius
" curant. Si tamen in praxi diligentius attende-
" ris, frequentiſſime deprehenditur *."

Priuſquam in hujus morbi dira ſymptomata inquiramus, haud abs re erit de cauſis ejus quaedam memorare; et primò de cauſa proxima agendum eſt.

Cauſa proxima ventriculi, ſicuti partium aliarum, inflammationis, ſemper eſt tanta ſanguinis globulorum rubrorum in arteriis minimis accumulatio, ut dolorem, tumorem, calorem, febrem, et alia conſueta inflammationis ſigna producat.

Haec liquidi accumulatio oriri poteſt, vel vaſorum, vel ſanguinis, vel utriuſque conſpirantis vitio. Facile enim patet, eundem effectum ſequi debere, ſive vaſorum minuatur capacitas, fluidis non mutatis, ſive manente eadem vaſorum amplitudine, liquida fiant minus meabilia.

Ex ſanguinis vitio producitur obſtructio, quoties is vel quantitate vel qualitate peccat: ſi enim nimia adfuerit ejus copia, vaſa debiliora nimium diſtendit, et vicina comprimit, inde impeditur circulatio; hinc

* Hoffm. op. vol. 6. p. 223.

hinc a medicis obſervatur, quod juvenes et plethorici huic morbo magis opportuni ſunt, quam ſenes atque minus ſanguinolenti.

Si autem nimis craſſus aut viſcoſus fuerit ſanguis, moleculae ejus in vaſorum anguſtias adactae, ſine obſtructione tranſire non poſſunt.

Vaſorum vitio producitur obſtructio, ab omni cauſa qua arctiora et anguſtiora reddantur, quae multiplex eſſe poterit; ſaepiſſime autem a nimiùm vehementi fibrillarum nervearum ſpaſtica ſtrictura, quae canaliculos capillares plus juſto anguſtat atque coarctat *.

Denique, ab errore loci, idem producitur effectus, quando ſcil. globuli ſanguinis rubri in dilatata orificia vaſorum lateralium ſeroſorum impetuoſe impelluntur, nec per horum fines anguſtiſſimos tranſire potentes, nec motu retrogrado redire, in vaſorum anguſtiis incarcerati haerent, et vaſa obſtruunt; ſanguis autem adhuc, actione cordis et arteriarum per febrem aucta, in vaſa obſtructa magna vi pulſus, eorum latera diſtendit, vicina comprimit, et inde ſenſim obſtructiones augentur, donec tota pars tumida, diſtenta et rubra devenit; et hoc modo, ex ſententia celeberrimi BOERHAAVII, oritur inflammatio.

Sed

* Vid. Hoffm. op. vol. 2. p. 121.

Sed inflammatio, majore cum veritate, debetur oscillatoriis contractionibus minimorum vasculorum auctis, quae vasorum distentionem, unà cum inflammatione, imò sine obstructione praegressa, facile producere possunt; et hic motus oscillatorius stimulo vasis applicato semper debetur; parum itaque refert, utrum pendet hicce stimulus ab obstructione aliqua, vasorum fibras distrahente, sivè materia acri eorum nervos irritante. Haec doctrina luculentissime demonstratur a clarissimo et eruditissimo hujus Academiae Professore *.

His, de inflammatione in genere, sive causa ejus proxima, praemissis, ad causas remotiores memorandas, proxime progrediendum est.

Licet generalis inflammationis causae remotae pene innumerae recensentur, quae fere omnes et hic locum habere possunt; sufficiat tamen eas tantum quam brevissime enumerare, quae hunc morbum in ventriculo frequentius excitare solent. Hae, quamvis variae quidem et diversae, a triplice tamen fonte omnes deduci queant; scil. ab ingestis; a materia mor-

* Vid. Whytt's Physiolog. Essays, p. 66.

bosa jam in corpore nata; vel, denique, ab animi vehementiori pathemate.

Sub prima classe, continentur omnia illa nocentia, quae in ventriculum, sive potus, cibi, condimenti, medicamenti vel veneni titulo, ingeruntur. Satis quidem compertum habemus, quòd ventriculus humanus acriora multa, quae etiam inter deglutiendum fauces fere excoriant et inflammant, sine magno incommodo ferre queat. Et si consideremus ea quae condimenti titulo assumuntur, inter haec inveniemus talia, quae cuti externae applicata, illam rodunt et inflammant; uti acerrima aromata; allium; raphanus rusticanus, et similia; unde mirandum est, non saepius ab his inflammari ventriculum, maxime quando liberius assumuntur: et procul dubio, frequentius haec nocerent, nisi mucus blandus hujus visceris latera defenderet, et sitis ab his assumptis excitata copiam aquosi potus posceret, quo diluitur et enervatur horum acrimonia. Attamen et alia sunt, in quibus tanta acrimonia sensibus nostris nequaquam detegitur, quae tamen tali latente stimulo gaudent, ut tunicas ventriculi validissime vellicent atque stimulent, adeoque vel spasmos violentos excitando, vel vasculorum motum oscillatorium nimi-

ùm

ùm augendo, inflammationem facillime inducunt. Hujuſmodi ſunt venena quaedam, è vegetabili, praeſertim è regno minerali petita, et imprimis damnoſum ipſum arſenicum, de cujus infelici effectu plures hiſtoriae a practicis commemorantur.

Omnia etiam acria emetica et purgantia, liquores acres fermentantes, corpora dura et aſpera deglutita, et infinita fere ſimilia, inflammationem inducere poſſunt. Omnium autem forte frequèntiſſima hujus mali cauſa eſt potus gelidus, intemperantiùs ingeſtus, aeſtuante prius a laboribus corpore, et ſanguine in vaſcula minima et anguſtiſſima impetuoſe adacto: directe enim in ventriculum detruditur iſte potus gelidus, adeoque nocivos ibi imprimis exerit effectus; vaſcula enim ſubito conſtringit, humores coagulat; duplice itaque ratione peſſimas producit obſtructiones.

Metaſtaſis vel retropulſio materiae alicujus morboſae, priùs in toto vel aliqua corporis parte hoſpitantis, et exinde, quacunque de cauſa, in ventriculum delatae, ſaepe inflammationem ibi excitat. Fideliſſimus HOFFMANNUS affirmat, quod ventriculi inflammatione pereunt, qui variolis, morbillis, purpuris, eryſipelate et podagra retropulſis decedunt, in quibus materia morboſa ad nervoſas

ventriculi

ventriculi membranas relapsa, spasmum et constrictionem vehementiorem vasculorum inducit *.

Et in alio loco, haec habet verba: "Ego "certe plena testari possum fide, quod omnes, "quos ex febre quadam acuta obiisse novi, ex in- "flammatione ventriculi, intestinorum, vel me- "ningum superveniente, decessisse deprehenderim: "idque non solum ex symptomatibus dijudicavi, "sed ex dissectionibus, quas administravi, et de "quibus alii fidem mihi fecerunt, compertum "habui."

Non desunt exempla hominum, qui, post vehementem iram, hoc morbo correpti fuerunt. "Ip- "se saepius ex ira, inflammationem ventriculi ob- "servavi†."

DIAGNOSIS.

Hicce morbus difficile admodum ab aliis quibusdam ventriculi affectionibus, ac vicinarum partium inflammatione, distingui potest, quoniam secum multa habent signa communia: haec autem sequentia

* Hoffm. op. vol. 2. p. 121.
† Idem, vol. 6. p. 223.

quentia clarius demonſtrant inflammationem ventriculi adeſſe, ſcil.

Dolor acutiſſimus fixus in ipſa ventriculi regione; calor etiam in hoc loco intenſus; ſitis fere inexplebilis; vomitus dolentiſſimus, et ſingultus; doloris et vomitus exacerbatio, ipſo momento, quo aliquid cibi, potus vel medicamenti ingeritur, vel aer ructu è ventriculo expellitur; ſaepe circumſcripta ibi regio tactu quodammodo durior pleniorque percipitur, doletque quando manu externè comprimitur; pulſus ſubdurus, contractus, parvus et frequens; his accedit anxietas ſumma et perpetua circa praecordia, cum ſpirandi anguſtia, quae ſenſim ſenſimque, ſi perſtiterit morbus, in ſuffocationem uſque augetur; corporis jactatio et inquietudo; ſequitur tandem cordis palpitatio, cum pulſu admodum debili et intermittente; extremorum frigiditas; animi deliquium; et, denique, mors ipſa ultimam tragoediam claudit.

Ad medelam autem tutò et feliciter inſtituendam, nihil aequè conferre videtur, ac morborum ſymptomata atque peculiarem indolem probè dignoſcere: et unicuique certè apparet hujus aphoriſmi veritas, *Qui bene cognoſcat, idem quoque bene curet.*

Quare,

Quare, cum unus morbus alterum, tam invasionis modo, quam symptomatum plurimorum similitudine, tam exactè saepius referat, ut primo statim intuitu, vix alius ab alio exquisitè possit discerni; prudentis ergo medici est, toto adesse animo, ut talem morbum ab omnibus aliis, praesertim ab iis qui similibus gaudent symptomatibus, accuratissime distingueret.

Operae ergo pretium videtur, ut pauca hîc, ex practicorum observationibus, adjiciamus, quibus hicce morbus, ab aliis quae in ventriculum cadunt passionibus, accuratius distingui possit.

Primò, In dolore cardialgico *, pariter adest magna circa praecordia anxietas, dolor acutus, extremorum aliquando refrigeratio, assiduus ad vomendum conatus, corporisque inquietudo; sed in ventriculi regione ardor non tam impensus, nec tanta sitis, neque pulsus tam celer et contractus; melius quoque ferri possunt ingesta, sive alimenta sive medicamenta, sine symptomatum exacerbatione, quam in ventriculo inflammato.

Secundò, Ventriculus etiam flatibus distentus, et per omnem ambitum fortiter expansus, summas praecordiorum anxietates, et spirandi, ad suffocationem ferè usque, angustiàm efficit; atque inferior ejus

* Vid. Hoffm. op. vol. 2. p. 121.

ejus pars, inſtar veſicae turgidae, tactui ſeſe offert, et dolor quidem ingens eodem loco percipitur; quando autem ructus ſuperveniunt, quibus aeri exitus conceditur, ſtatim doloris et anxietatis ſenſus magnopere lenitur; neque in hoc caſu adeſt febris; ventriculus quoque facilius ferre poteſt ingeſta, ac ſi aderit inflammatio.

Tertiò, Diſtinguitur etiam ventriculi inflammatio, ab inflammatione hepatis, et quidem concavae ejus partis, qua ventriculus a dextro tegitur, non ſolum vehementia omnium ſymptomatum, ſed etiam quod dolor in hepatitide ad latus magis dextrum et ſpurias coſtas vergit; neque ab aſſumptis dolor et anxietas adeo increſcunt, ut ventriculo inflammato accidit *.

A paraphrenitide, denique, difficillime diſtinguitur; quia dolor acutiſſimus ibi ventriculi ſitu ineſt, et febris, et ſitis, et reliquarum notarum plurimae, ut proinde experientiſſimus medicus fallatur. In paraphrenitide verò dolor maxime augetur in inſpiratione, tuſſi et ſternutatione, et compreſſu abdominis in alvo vel urina reddendis †. Sed liquida blanda tutò ingeri poſſunt, ſine doloris augmento,

* Vid. Hoffm. vol. 3. cap. 3.

† Vid. Boerh. Aph. § 909.

augmento, dummodo ab his non multum gravetur vel distendatur ventriculus.

RATIO SYMPTOMATUM.

Dolor acutissimus, fixus, &c.] Dolor omnem quamcunque inflammationem, plus minus, pro ratione partis sensilitatis quam occupat, semper comitatur; oritur a distentione et distractione vasculorum minimorum, atque impetu sanguinis a tergo in vasa obstructa et jam nimiùm distenta irruentis: Fibrillas autem nervosas per omne ventriculi punctum copiosissime distributas, multum inde distrahi necesse est; unde acutus admodum excitatur dolor, qui magis majisque augetur, ob perpetuum motum et conquassationem, cui pars affecta inter respirandum subjicitur; ventriculus enim, uti notavit clar. Haller, in pleniſſimo abdomine sub diaphragmate positus est, cui superius firmè adnectitur, et cum eo sursum atque deorsum validius pellitur; partes igitur sibi vicinas urget, et ab iis vicissim urgetur, eandemque compressionem pati videtur, ac si eum valida vi manuum alterne homo comprimeret †.

Inflammatur

* Vid. Haller. in Boerh. Inst. § 86.

Inflammatur os ventriculi majore cum dolore, ob ejus sensum acutiorem *.

Fixus manet dolor in ipso ventriculi loco, quia, scilicet, ibi haeret mali causa, nec locum commutat, sicut doloris causa in hystericis et hypochondriacis a flatibus orta.

Calor intensus circa praecordia.] Calor quoque perpetuus est inflammationis comes. Calor ventriculi in statu etiam sano notabilis est: "Nam-"que illi cor incumbit, sola et tenui septi trans-"versi crassitie distans; omentum et mesenterium "utrinque fovent; in posteriore sede, arteria aor-"ta ingens flumen vehit calidissimi sanguinis †." Hic calor in parte inflammata intensus evadit; quia sanguis per canaliculos constrictos majore celeritate fertur, horum motu oscillatorio, summum ob dolorem, magnopere aucto; partim etiam quia libero transitu per extrema vasorum obstructorum excluſus, ad ramos ampliores celerrimè regurgitat, iterumque cordis actione subitò repellitur, ibique crebriorem facit quasi systolen et diastolen; unde magna accidit attritio mutuaque collisio; inde itaque augetur calor, qui eo sensibilior erit, quo sensu magis exquisito pars affecta potita sit.

* Nicol. Piso, vol. 2. p. 46.

† Vid. Haller. in Boerh. Instit. § 88.

Sitis inexplebilis.] Medicis et anatomicis notum eſt, quod in homine ſano, tota cutis externae ſuperficies, oris interni, oeſophagi, ventriculi, &c. perſpirabilis eſt, et tenuiſſimum liquidum per extrema vaſculorum exhalantium oſcula expulſum, omnia perpetuo humectat atque madefacit. Ubi ergo illud deficit, vel quacunque de cauſa per haec vaſcula non debitâ copiâ transfluit, ſemper ſiccitas adeſſe debet; in hoc autem morbo, ubi maximus calor adeſt, difflatur brevi omne liquidum, et oſcula horum vaſculorum quaſi exareſcunt; ſitis itaque maxima et prorſus intolerabilis evadit; quia miſerrimus aeger, licet ſiti fere enectus, faucibuſque lingua adhaereſcat, liquidi tamen quantum ſufficit ad ſitim reſtinguendam ingurgitare nequit, quin ipſo momento, cum dolore cruciante, vomitus excitetur.

Vomitus dolentiſſimus, et ſingultus, &c.] Ex nervoſa ventriculi ſtructura jam breviter explicata, patet, eum valde irritabilem eſſe; imo ab experimentis anatomicis conſtat, quod ejus vel extrema ſuperficie rudius attacta, vel cultelli apice puncta, in mortuo jam animali, perſpicue convellatur *. In ſtatu itaque inflammato, quoties ab ingeſtis irritatur, minime

* Vid. Wepfer de Cicut. Aquat. p. 89.

minime mirandum est si sequatur fibrarum ejus convulsio, et vomitus cum doloris exacerbatione.

Et observatu dignum est, quod illud signum pathognomicon dici potest, uti innuit clar. VAN SWIETEN *, dum scilicet ab ingestis, etiam parcâ copiâ, quae caeteroquin facile fert ventriculus, exacerbatur dolor. Si enim in vicinis ventriculo partibus haeserit inflammatio, non ilico sentiri debet doloris exacerbatio, dummodo parum simul in ventriculum ingeratur. Quando autem ipse ventriculus inflammatur, statim sequi solet vomitus, dum pars inflammata ita convellitur, ac diaphragmate musculisque abdominalibus simul agentibus, quasi intra prelum validissime comprimitur.

Adest saepe singultus, qui subita est convulsio oesophagi, diaphragma et ventriculum sursum trahens, dum simul diaphragma subito deorsum convellitur. Maxime frequens est singultus, quando os ventriculi inflammatur, in quo casu, a leviſſimo stimulo applicato convelli debet.

Quandoque circumscripta ibi regio tactu durior, &c.] Hoc signum non solum a tunicis ventriculi sanguine congesto tumefactis, pendet, sed saepe ab aere elastico in ventriculi cavitate contento,

* Vid. comment. in Boerh. Aph. §. 951.

tento, ejuſque latera fortiter diſtendente, dum ſimul utrumque orificium ſpaſmodice conſtringitur; veſicae itaque turgi daeinſtar, tactui ſeſe offert, et dolet quando manu externe comprimitur, vel aer ructu expellitur.

Pulſus ſubdurus, contractus, parvus et frequens.] Medicis practicis obſervatur, quod in omnibus ventriculi vel inteſtinorum inflammationibus, pulſus nunquam plenus percipitur, ſed potius utcunque durus, contractus, parvus et frequens. Pulſus durus et contractus, pendet a corde et ſimul univerſa nervorum ſyſtemate, ob vehementem dolorem et nauſeam, ſpaſmodice affectis, quo minus patiantur ſeſe tantum, ac in ſanitate, dilatari. Velocitas pulſus ab eadem cauſa pendet, ſcilicet aucta irritabilitate cordis et arteriarum, qua ſolito citius, ſanguine irruente, in contractionem excitantur. Eandem ob cauſam redditur parvus, quia parva tantum ſanguinis copia ſimul et ſemel e corde ſiniſtro in arterias expellitur.

Anxietas ſumma et ſpirandi anguſtia, &c.] Reſpiratio facilis et placida pendet a circulatione ſanguinis libera per vaſa pulmonalia; quodcunque ergo hanc obſtruit, illam difficiliorem reddit. Veriſimile autem videtur, quod in hoc morbo dolentiſſimo, vaſa pulmonalia ſpaſmis violentiſſimis afficiuntur,

afficiuntur, ob arctam istam sympathiam, quae inter ventriculum et pulmones clare conspicitur. Nervi enim pneumonici, et qui ad ventriculum abeunt, ab eodem pari vago, parvo tantum spatio interjecto, proveniunt; vix itaque altera pars malè affici potest, quin alteram in consensum trahat. Quid enim crebrius occurrit, quám quod a tussi violenta, vitio in bronchiis haerente, vomitus concitetur, et vice versa?

Restat adhuc alia causa, ni fallor, scilicet dolor iste intolerabilis circa praecordia, quo thoracis et diaphragmatis motus multum angustatur, sanguinis itaque per pulmones circuitus impeditur. Hinc nimia liquidi copia in arteria pulmonali, corde dextro, sinu venoso, &c. accumulatur, inde magni istius ponderis oritur sensus.

Haec anxietas, si diu perstiterit, obstructiones pessimas in extremis pulmonum vasculis faciet, quae singulis horis augeri debent, donec miserrimus aeger, quasi peripneumonia tristi, cito è medio tollitur.

Hîc observare licet, quod dirae totius corporis saepe superveniunt convulsiones, quibus aegri subito extinguitur vita.

Corporis jactatio.] Cum aeger requiem invenire nequeat, ob ingratum illum et molestis-

simum

ſimum ſuffocationis ac doloris ſenſum, quo maxime periclitantur organa vitalia, diu in eodem ſitu corpus retinere non poteſt, ſed e latere in latus perpetuo volvit atque revolvit, ut ſitum tandem inveniat, quo hunc doloris et ponderis effugiat ſenſum.

Cordis palpitatio cum pulſu debili et intermittente.] Quo diutius progreditur morbus, eo graviora evadunt ſymptomata.

Pulmonibus jam ſanguine gravatis, atque circulatione per horum vaſcula multum exinde impedita, cor dextrum ſanguine a tergo irruente, nunc plurimum diſtentum atque diſtractum, valida vi ſeſe contrahendo, contenta evacuare nititur, ſed una vice reſiſtentiam ſuperare nequit, ictibus itaque repetitis perficere conatur; hinc celerius ſe contrahit et palpitat.

Ob hanc pulmonum reſiſtentiam, parva tantum ſanguinis copia in cor ſiniſtrum immiſſa eſt, quae primâ cordis contractione, in arteriam aortam expellitur, ſed arteriis majoribus dilatandis parum ſufficit, inde pulſus debilis ſentitur.

Quando cor dextrum reſiſtentiam jam natam ſubito ſuperare nequit, quaſi defatigatum, pauliſper agere ceſſat, donec iterum ſanguine irruente turgidum devenit, tunc vehementer ſe-

ipſum

ipsum contrahit, et vi transitum aperit, qui brevi tempore manet, denuoque obstruitur; inde fortè, in hoc casu, oritur pulsus inaequalis et intermittens.

Extremorum frigiditas.] Quando cor in extrema vasa sanguinem propellere nequit, deficit ibi circulatio, cessat itaque attritus et collisio, unde pendere videtur calor noster vitalis; frigescere ergo incipiunt partes extremae.

Animi deliquium, et mors.] Quoniam nunc vasa plurima in extremis et partibus externis, vel omnino obseruntur, vel superveniente frigore multùm constringuntur, liquores exinde majori copia ad interiora propulsi, circa praecordia accumulantur, minori copiâ ad cerebrum receptâ, liquidum nervosum solito parciùs secernitur, quam ob causam, cordis actio sensim minuitur ac debilitatur, et nonnunquam omnino sistitur; in animi deliquium ergo incidit aeger.

His denique malis semper ingravescentibus, tandem omnino cessat omnis motus vitalis, atque miserrimus aeger inevitabili fato animam suam exhalat.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS.

Cum hicce morbus cursum suum rapidissime absolvat, dirisque symptomatibus stipetur, aeger ut plurimum in summo versatur periculo.

Observat celeberrimus Boerhaavius, quod "brevi plerumque lethalis fit, nisi subito curetur, "ob laesam necessariam functionem, et infinitos "nervos connexos *."

"Hoc peculiare habet ventriculi inflam- "matio, quod, convulsionibus ortis, subito saepe "mortem inferat; quia nervosissima ventri- "culi substantia, inflammatione irritata et "dolens, totum corpus miris modis turbare po- "test, et imprimis functiones cerebri laedere †; "quod GALENUS optime notavit, dicens, "Ven- "triculus capiti, et caput ventriculo, suas af- "fectiones transmittit, propter nervorum ab en- "cephalo ad os ventriculi descendentium magnitu- "dinem, per quos etiam sensus huic parti, quam "ulli reliquarum corporis partium, acutior est ‡."

Quando

* Vid. Boerh. aph. §. 952.

† Vid. Van. Swiet. comment. in Boerh. aph. §. 953.

‡ Vid. Galen. de locis affectis lib. 3. cap. 9.

Quando itaque os ventriculi occupat inflammatio, periculoſiſſima aeſtimatur, et, ut Foreſtus ait, "Jovis filii dicendi ſunt, qui evaſerint."

Omnium deterrima illa eſt inflammatio, quae ſenibus, infirmis, ſcorbuticis, et diuturno moerore confectis, item quae in fine morborum acutorum accidit *.

Si a venenis aſſumptis oritur, niſi in initio morbi è corpore eliminentur vel propriis remediis horum vires deſtruantur, peſſima exinde ſequuntur ſymptomata, citiſſime mortem inducentia, quorum multa apud auctores proſtant exempla.

Si inflammatio magna ſit, nec ſubitò reſoluta, ſemper metus eſt, ne in abſceſſum, gangraenam, ſcirrhum vel cancrum degeneret.

Si in abſceſſum abeat, pus vel in ventriculum internum, vel in cavum abdominis erumpit; in priore caſu, pus ipſum, vel ore, vel alvo ejicitur, cum ſymptomatibus ſatis moleſtis, et periculo minimè vacuis; in poſteriore verò caſu, immedicabile malum evadit.

Si in gangraenam tranſeat, de aegro ſemper conclamatum eſt.

* Vid. Hoffm. op. vol. 2. p. 121.

Si in ſcirrhum vel cancrum degeneret, medela admodum difficilis, vel potius nulla eſt.

Sed ſi inflammatio ſit recens, nec magna, nec cauſis malignis orta, in juvenili ſanoque corpore, ſpes ſanandi magna affulget.

METHODUS MEDENDI.

Morbus hicce, cum ab inflammatione pendeat, conſuetum inflammationis iter decurrere debet, et vel per reſolutionem, ſuppurationem, gangraenam, ſcirrhum vel denique cancrum terminari. Reſolutio vero perfectiſſima ſanandi eſt methodus, ſemperque tentanda; quia vaſa obſtructa recludit et tumida componit, ſine ulteriori noxa parti illata. Haec autem ut ex votis cedat, hae praecipue oriri videntur indicationes.

Primo, Sanguinis impetum in partem affectam minuere, quo ulterior vaſculorum laeſio impediatur.

Secundo, Materiae obſtruenti fluiditatem conciliare, et vaſa ſpaſmodicè affecta relaxare.

Tertio, Ventriculum morbo debilitatum corroborare.

Primae

Primae indicationi, prae alio quovis remedio, respondet sanguinis missio, libera manu, ad animi usque deliquium, instituta, et quamdiu ferre possunt aegri vires, audacter pro re nata repetenda, donec pulsus mollior evadit. Observatu enim dignum est, quod venaesectio, in initio saltem morbi, largius, ad animi ferè deliquium, celebrata, plus valet ad tales morbos debellandos, quam eadem operatio decies postea, parciore manu instituta; uti peritissimus Medicus J. Rutherfoord, Med. Theoret. et Pract. in hac Academia Professor, discipulos suos iterum iterumque monuit. Praeterea observandum, uti supra dictum est, quod in hoc morbo, pulsus nunquam plenus percipitur, sed potius parvus et contractus; et quo saevior morbus, eo plerumque debilior pulsus; atque licet in morbi paroxysmis adeo debilis sit, ut vix tactu explorari possit; attamen venaesectione liberè instituta, sensim plenior molliorque evadit.

Ut vero confirmetur, et clarius eluceſcat haecce doctrina, liceat mihi casum hujusmodi, satis quidem insignem, in Actis Medicorum Edinensium traditum, proferre.

† Juvenis

† Juvenis bonae temperiei, qui per totam fere vitam antea, integra valetudine fruebatur, media nocte e ſomno ſubitò excitatur dolore acuto circa os ventriculi, qui ſtatim adeo ingraveſcebat, ut vix ſubſiſtere potuerit; venaeſectione autem inſtituta, ſeſe a dolore liberum exiſtimavit, paulo poſt vero, de mira quadam anxietate et reſpiratione difficili conqueſtus eſt. Vocatus in conſilium medicus, pulſum invenit valde oppreſſum et ſaepe intermittentem, extrema frigida, reſpirationem ferè ſuffocatam, et ob dolorem acutum, et quaſi urentem circa praecordia, vehementer exclamantem aegrum: Phlebotomiâ nunc liberâ manu inſtitutâ, pulſus mollior aequabiliorque evaſit, novus calor per totum corpus ſeſe diffudit, dolor mitior et reſpiratio placida deveniebat. Horae autem dimidio nondum elapſo, extrema iterum frigeſcere incipiebant, pulſus debilis erat et intermittens, anxietas major et dolor acutior quam antea; ſtatim denuo poſt ſanguinem miſſum, pro brevi temporis ſpatio, ſeſe meliorem habere videbatur. Subitò vero extrema frigida et inſtar cadaveris rigida deveniebant, pulſus nequaquam tactu percipiendus, vertigo ſumma ſequebatur et caecitas,

† Vid. Med. Eſſays, vol. 1. art. xxix.

caecitas, delirium ferox, ardoris interni intolerabilis ſenſus, convulſiones muſculorum faciei, ſitis immanis et ſimul horror ſummus, dum liquida allata videbat, ita ut hydrophobus fere videbatur; adeo difficile reſpirabat, ut omni horae momento, parum abfuit quin ſtrangulatus eſſet; in eodem ſitu minimè requieſcere potuit, ſed potius furibundi inſtar, e lecto exſilire ſubinde tentabat, huc illucque membra jactitans; hoc tandem conflictu quaſi prorſus defatigatus, in lecto ferè exanimis ſuccubuit; eo tempore, ex plurium medicorum conſenſu, miſſus eſt ſanguis, quo facto, ad ſe rediit et ferè ſanus videbatur; aliquot vero poſt horas recurrebant omnia priora ſymptomata, quae poſt venaeſectionem iterum inſtitutam magnopere leniebantur, et pulſus mollis, plenus et tardus deveniebat, calor aequabilis cum leni ſudore totum corpus invaſit, ſicque per noctem quievit; mane autem extrema iterum frigeſcere coeperunt, pulſus debilis, dolor acutus, &c. ad conſuetum itaque remedium ſtatim confugere coacti ſunt; prius autem quàm ſanguinis uncias quinque amiſerat, in animi deliquium incidit aeger, cum levamine verò omnium ſymptomatum. Sequente mane eadem mala de novo recurrebant, eademque methodo repulſa

pulsa fuerunt; vespere autem redibant, et sanguis vix ad uncias tres effluxerat, donec lipothymiâ correptus est; attamen mitiora reddebantur symptomata; multo verò mane duplice vi impetum redintegrabant, quo tempore, liberiorem sanguinis jacturam sine animi deliquio sustinuit. Proximo die debilis admodum et exhaustus erat, saepiusque lipothymiis correptus, et mane sequente, omnia mala recidiva novam exigebant venaesectionem, quam melius ac antea passus est. Nunc pulsus plenior, mollior, tardiorque evadebat, et omnia quidem auspicatò procedere videbantur; media vero nocte novum denique paroxysmum sustinuit; sed facile nunc venaesectio sine animi deliquio celebrata fuit, pulsus tandem ad statum naturalem redactus est, et hoc modo, post venaesectionem undecies repetitam, et sanguinem circiter uncias centum et sedecim amissum, septimo morbi die, e tantis malis incolumis evasit hicce juvenis.

Hîc autem observandum est, quod in omnibus ventriculi inflammationibus, tam valida sanguinis missio nec necessaria est nec tuta; locum tantùm obtinere videtur haec methodus, quando aeger habitu robusto et plethorico gaudet.

Si

Si aeger, ob virium imbecillitatem, vel ob aliam quamcunque cauſam, ſanguinis liberiorem jacturam ferre nequeat, utendum eſt ligaturis vel cucurbitulis; ſed epiſpaſtica, in hoc caſu, optimos plerumque praeſtant effectus.

Ut ſecunda indicatio obtineatur, utatur aeger potu blandiſſimo, emolliente et antiphlogiſtico; hujuſmodi ſunt, decoct. alth. emulſ. amygd. dulc. vel ſemin. papav. alb. cum pauxillo nitri, ſi ferre poſſit ventriculus. Conveniunt etiam ptiſana hordeacea, aqua cum lacte, juſculum dilutum e pulli carne paratum, ſimiliaque blandiſſima, quae parca tantùm copia ſimul ingeri, et ſaepe repeti debeant. Saepiſſime autem accidit, quod etiam haec blandiſſima ferre nequeat ventriculus inflammatus ſine vomitu excitato; in hoc caſu, experientia compertum eſt, quod nihil pulchriùs reſpondeat, quàm ut aeger ſuccum limonum aquâ dilutum ſubinde ſorbillet, quo optime demulcetur et vomitus et ſitis, ventriculo non gravato. In eundem finem laudant alii hauſtum ſalinum, Pharm. Paup. Edin. praeſcriptum.

Si autém cauſa cognita fuerit, quae acrimonia ſua, rodendo, inflammationem feciſſet, dentur ſimul oppoſita huic acrimoniae remedia.

Solicitè

Solicitè vero cavendum eſt ab omnibus aromaticis, calefacientibus, ſpirituoſis, &c. quae apud vulgus, a vi flatus diſcutiente, adeo celebrantur, ut raro contingat medicum in his morbis vocari, antequam aegri copiam ſimilium ingurgitaverint: Facile vero patet, quàm immaniter malum augeri debeat, dum ventriculus inflammatus talibus irritatur. Hinc certe multi pereunt, qui forte ſervari potuiſſent.

Praeterea cavendum eſt a vomitu excitando; maxime enim fallit, in hoc morbo, regula iſta falſa et periculoſa, *Vomitus vomitu curatur.*

Sed ſi aeger perpetuo vexetur vomitu, a materia aliqua acri, vel veneno corroſivo aſſumpto, adhuc in ventriculo hoſpitante, eumque in contractiones violentas ſtimulante; rationi conſentaneum videtur, in initio ſaltem morbi, hanc materiam nocivam e ventriculo expellere, non tamen per emetica fortiora, ſed aquam tantùm egelidam cum oleis blandis mixtam et largiùs potam.

Si autem inflammatio diutius jam duraverit, et haecce methodus ſine majori periculo tentari nequeat,

queat, tunc a vomitu, quantum fieri poſſit, abſtineat aeger; et remedia tantum demulcentia, oleoſa; lac, ſcilicet, recens, cremor ipſius, oleum amygdalarum dulcium, et ſimilia blanda propinanda ſunt. Horum enim ea eſt virtus, ut cauſtica veneni ſpicula obtundant, involvant et quaſi in vaginulis includant, et vaſa praeterea jam nimis conſtricta emolliant atque relaxent.

Obſervatu dignum eſt, quod, quamvis aeger dolore prorſus intolerabili cruciatur, minime tamen tutum eſt opiata exhibere. Celeberrimus HOFFMANNUS haec habet verba: "Cavendum "eſt in periculoſo hoc affectu, ab omnibus ano-"dynis, et praeſertim quae opium ingreditur. "Nam haec cum ſudoriferis mixta, in principio "quidem arcere poſſunt inflammationem, quam "atroces dolores et ſpaſmi minitantur: Verum ſi "aderit inflammatio, et paulo diutius duraverit, "perniciosiſſima ſunt, et mortem, ſphacelum "inducendo, accelerant *." Si autem opiata, ad dolorem ſopiendum, exhibere neceſſe videatur, medico ſedulò cavendum eſt, ne per doloris ceſſationem deceptus ſit; dum interim

* Vid. Hoffm. op. vol. 2. p. 121.

maxima vi ſaeviat inflammatio, quae citiſſime ſaepe in ſphacelum praecipitatur.

Si morbus originem duxerit a materia morboſa e corporis ſuperficie vel extremis retropulſa, conveniunt remedia blanda diaphoretica, pro re nata ingeſta, et epiſpaſtica externè et partibus prius affectis applicata.

Cum denique non ab una, ſed plurimis et diverſis cauſis oriri poſſit hicce morbus, prudentis medici eſt, pro cauſae diverſitate, ad eam removendam, medicationem dirigere, ſinguliſque praeſidia opponere congrua.

Quoniam in hoc diro morbo, miſerrimus aeger ſiti inexplebili, et calore circa ventriculum ardentiſſimo excruciatur, nec tamen liquidi quantum ſufficit in ventriculum ingurgitare audet; neceſſe itaque eſt per alias vias illud in corpus introducere: hunc ſcopum attingunt balnea, fomenta et epithemata ventriculi regioni applicata; imprimis autem clyſmata ſaepius injecta, diuque retenta: Summum enim haec habent uſum; eluuntur per haec faeces inteſtinis collectae, foventur et relaxantur tunicae ventriculi inflammatae, foventur etiam omnes partes inferiores; a ſuperioribus

ribus itaque optima fit revulsio. Praeterea, diluentia et antiphlogistica haec clysmata in intestinis retenta, venarum meseraicarum osculis absorbentur, sicque sanguini permiscentur, ita ut dilutio et attenuatio ejusdem obtineatur. Ex molliſſimis itaque parari debent, ne alvum nimis fortiter subducant. Sola aqua tepida cum lacte, vel eadem cum oxymelle et nitro commixta, scopum sat bene attingit.

In morbi descensu, haud abs re erit, parvam dosin decocti tamarindorum cum manna, vel ejusmodi lenioris cathartici exhibere, et pro re nata repetere.

Quoniam ex sanguine amisso vasa totius corporis, et imprimis ipsius ventriculi admodum debilitantur, restat tantùm ut vires eorum reficiantur.

In hunc finem, per aliquot saltem dies, utatur aeger victu leniori, nutriente, sed penè jam elaborato, et facile digerendo, parum simul, sed repetitis vicibus ingerendo; ab omnibus autem quae cito acescunt, flatus generant, vel stimulo aliquo fortiori pollent, caute abstinendum.

Quando, denique, morbus penitus fugatur, et vires ventriculi quodammodo reficiuntur, remedia

roborantia

roborantia, vina ſtomachica amara, cortex Peruvianus, cum leni exercitio, ad medelam perficiendam, pulcherrimè conducunt.

Si autem inflammatio methodo jam deſcripta reſolvi nequeat, tranſit, ut ſupra dictum eſt, in abſceſſum, gangraenam, ſcirrhum vel cancrum; ad quorum medelam proxime progrediendum eſſet, niſi hoc vetarent anguſti hujus diſſertatiunculae limites.

FINIS.

Med Hist
WY
E23
1758
B.1